Circa Th. M. Fries, Genera Heterolichenum europaea recognita animadversiones. Scripsit William Nylander.

In opusculo hocce Upsalio nuper edito auctor, praemissa dissertatione de variis Lichenographiae capitibus, generum europaeorum (sensu Massalongo-Koerberiano) dat definitiones. In quaque fere pagina contumelias in me effundere studet, impudentias in hoc negotio accumulans modo cognito, qui jam antea pluries stigmate necessario signatus fuit. Sane nihil mihi saltem magis taediosum quam de me loqui, et quidem in sordibus me polluere crederem, si auctorem sequi per observatiunculas ejus pueriles vel scholasticas susciperem.

Cuique in re lichenologica perito opusculum, de quo agitur, perlegenti manifestum erit, auctorem nihil ponderis alicujus gravioris scientiae addidisse, sed ex auctoribus haurire quod affert, meis hic sedulo utens scriptis, quousque ei innotuere: at tamen auctor „clangore et strepitu" procedit, ut credere faciat, se etiam magnum esse Herculem, sicut praeceptores et duces ejus systematici Massalongo et Koerber (nempe tamquam ipsi proclamaverunt, in Symm. p. 7 et in Syst. Lich. Germ. p 382). Atque non latet, cur studia mea Hercules novus et pater ejus vilipendere affectant, inutileque sit animadvertere rem se ita habere postquam veritates quasdam de schola Friesiana (leniter quidem) edixi*). Quaenam autem non de eadem, ex gr. in Mycologia, judicanda restant! Numne etiam nullius sint momenti quae feci, ut libenter credere suaderent Domini Fries. Pervolvantur scripta lichenologica auctorum optimorum, ut celeberrimi Tulasne et Bornet, quibus nulli observatione superiores. Apud illum ex. gr. videmus iodum indicari „parenchyma" hymenii colorans (vel alibi paraphyses colorans), videmus *Everniam prunastri* indicari tamquam statum forte sterilem *Ramalinae calicaris*, videmus sterigmata *Lecanorae cervinae* descripta (et delineata) pro spermatiis ejusdem valde dissimilibus, videmus *Endocarpis* delineari paraphyses validiusculae, — omnia haec valde erronea, sicut locis animadverti simul cum multis aliis in opere insigni auctoris desideratis, ut definitiones, characteresque stylosporarum et spermatiorum, et horum applicationes per systema naturale, spermatiorum formae accuratae diversae etc. Apud cl. Bornet animadverti, eum ex. gr. omnino perperam (in Recherches sur la structure de *l'Ephebe pu-*

*) Nunc dicit filius (p. 24): „inter omnia nostrae aetatis lichenologorum scripta minime nobis placent Nylandri." Quod revera non mirandum est.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05976-0134-3

bescens) intellexisse texturam internam thalli *Ephebes* (credens se per filum thallinum integrum eam perspicere), atque primus analysin hujus lichenis vere internam ediderim. Haec tantum exemplis citentur, neque egeam serio me defendere contra sententiam quae vellet, ut irrita essent studia mea, si cum aliorum comparantur.

Auctor Generum Heterolichenum (aestimans sine dubio fortunam audaces juvare) ubique in opusculo suo opiniones qualescunque mihi labore continuo opponere adnititur. Talis nisus in fere quavis pagina, tamqnam jam dixi, elucet, ut se per fas vel nefas extollat.

Exemplo sumamus primo distinctiones, quas inveni in gonidiis admodum diversis apud lichenes multos ante commixtos et quos, ex hoc charactere, in genera diversa disposui facillime dignoscenda jam minima particula thalli. Arbitrio solito has distinctiones auctor ei non placere declarat, nullam vero ne minime quidem solidam rationem affert, quo characteres gonidiales infirmaret. Observem, gonidia elementum anatomicum vegetabile maxime essentiale sistere, et momentum ejus (respectu systematico) evidentissime demonstrari, aeque ac momentum texturae thallino in genere, apud familiam *Collemaceorum*, quae praesertim typo gonidiali a lichenibus ceteris differt, fructu autem convenit. Ita haec familia thalli textura distinguitur a familia *Lichenaceorum* (vel Lichenum proprie sic dictorum, quibus filius Fries nunc nomen satis incongruum et inutile „Heterolichenum" dedit); deinde genera *Collemaceorum* inter se gonidiis saepissime dignoscuntur (de generibus scilicet non loquor mere sporologicis).

Exemplo alio sumamus spermogonia et spermatia. Auctor „crediderit" vel ei „videtur" (argumenta ejus solita), pretium his apparatibus organicis et clementis anatomicis systematicum negandum esse. Vitio torquere vellet (p. 46), me haud divisiones majores differentiis spermatiorum invicem separare, sed genera vel sectiones generum. Cur aliter fecissem? Characteres quales sunt concipiendi sunt, vel dignatlonem eorum mutare frustra tentaretur. An et quidem sporae divisionibus majoribus definiendis regulam dare valeant? Quod sic auctor reprehendere studet nihil est serium, sed ad nugas scholasticas potissime relegetur. Qui characteres spermogoniorum spernendos esse docent, probent ea in uno eodemque lichene variare vel in specibus vere affinibus; experientia analytica major criterium optimum sine dubio agnoscet in spermatiis aeque ac in gonidiis. Vix magis quam cl Koerber D. Fries de spermogoniis aliquid memoret ex analysibus, quae ipse fecisset. „Erismata" tamen et „tromodoblastia" Massalongiana evitare videtur; D. Koerber

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr05976-0135-9

autem ea non rejicit, sed perturbatus est quum eadem apud alios auctores (Tulasne vel me) aliter descripta invenit. Constat, inter notas distinctivas modo alteram partem organicam, modo (apud alias species) alterum quoad pretium taxonomicum prominere, nec aliter res se habere potest quod adtinet ad spermogonia.

Exemplum modo adhuc detur unicum. *Sphaerias* quasdam thecas offerre iodo apice coerulee tinctas, celeberrimo Tulasne adtribuit detectum auctor Generum Heterolichenum, citans Ann. sc. natur. 4, VI, p 318; attamem in iisdem Annalibus (4, III, p. 148) videre liceret, me primum rem hance apud binas species observasse et determinavisse, licet cel. Tulasne deinde simile aliquid apud alias quoque observavit. De me tacendum erat auctori Upsaliensi. Observationes ejusmodi postea jam plurimas feci, et praesertim *Peziza* inveni (praeter *vesiculosam* Sow. et affines, quibus thecae apice leviter coerulescunt) hymenium gaudentes iodo ita tinctum, maxime vero insigniter apud *Pezizam cinnabarinam* Schum. Sic dicta autem *Biatora campestris* Fr. vera est *Peziza* (*P. Mougeotii* Pers.), quod e specimine archetypo confirmare potui; in Lich. Suec. exsicc. no. 222 citato nihil datur, sed indicatur specimina a vermibus devorata fuisse. Atque nunc *Stictis pallida* Pers. et *chrysophaea* Pers. e lichenibus excludendae mihi visae sunt, ob defectum characteris ullius certi naturae lichenosae.

De generibus innumeris, quae notis levissimis vel inobservabilibus sunt discissa, divulsa, dilacerata et rabie Massalongo-Koerberiana cumulata, nihil hic addam; vereor, ne sint ludibria ventis. Mirum, „reformatores" hodiernos studia sua lichenibus europaeis finisse, quod non impedit, quin summi sint systematici et quin systemata maxime absoluta exstruant. Auctor me taxat (p. 62) genera *Psoroma*, *Pannariam* et *Amphiloma* ad tres tribus diversas ducere, quum ea ad unicam tribum *Lecanoreorum* refero. Et sic porro ob servationculae ejus ceterae sunt confectae.

Exempla allata sufficiant, ut perspiciatur cujus indolis sunt vitia, quae mihi objicere et pro modulo virium buccinare tentat magister Upsaliensis. Contumeliis ejus respondere sane non meum est, talia me haud tangunt.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05976-0136-5

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1861

Band/Volume: 44

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: Circa Th. M. Fries, Genera Heterolichenum europaea recognita animadversiones 132-134